

§. VIII.

Quaecunque Deus revelat, sive legalia sint sive Evangelica, immoto assensu credenda sunt, quae fides dicitur generalis: cumque quisque generalia Evangelii effata, divino assensu credita, non possit non sibi met ipsi applicare, non potest non inde oriri fiducia in meritum Christi, quae audit fides specialis. Huc pertinet monitum Iohannis Baptistae Marc. I. 15. μετανοείτε, καὶ πιστεύετε ἐν τῷ Ευαγγελίῳ. Nec obstat, quod fides non est opus hominis, sed solius Dei: quia enim homines resistere possunt gratiae Spiritus S. per verbum suum fidem operaturi, officio hoc prohibentur homines resistere, et jubentur Spiritui S. fidem operanti locum dare. Hinc etiam incredulitas praecipua est ἀνομία et damnationis causa. *Qui non credit, iam condemnatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filii Dei Joh. III. 18.* Ita etiam SCHLVSSELBURGIVS l. c. p. 144. ad argumentum Antinomorum: *Lex arguit tantum ea peccata, quae revelat: sed non revelat incredulitatem in Christum esse peccatum*, inter alia respondet: Primo praecepto damnari omnem incredulitatem adversus Dei revelatum verbum. Cum autem incredulitas in Christum sit etiam species incredulitatis, necesse est eam quoque illo praecepto damnari. Deinde si primum praeceptum non damnat incredulitatem in Christum, cur in Locis communibus et Catechismis, ubi in nostris Ecclesiis explicamus Decalogum, affirmamus fidem esse opus primi praecepti?

credendum.

§. IX.

Quae modo dicta sunt de fide, pertinent etiam ad acceptationem beneficiorum Evangelio oblatorum: Sequuntur officia et leges de recta horum beneficiorum applicatione et gratitudine pro iisdem Deo exhibenda. Sub titulo gratitudinis facile

Ad gratitudinem  
erga Evang.

B

com-